



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 4. An teneamur aliquando eleemosynam facere ex necessariis ad
statum, non tamen ad vitam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

huius peccati sit gravis; item quando, & quomodo liceat diuitias seruare ad ascendendum ad gradum dignitatis, vel muneris in republ. & ad alia opera pia exequenda. Denique iam damus locum alicui prodigalitati veniali, quia hæc superflua habent latitudinem, intra quam sæpe committitur prodigalitas venialis, præterea non obligamus in rigore ad dandum omnia superflua, saltem sub mortali.

SECTIO IV.

Vtrum teneamur aliquando facere eleemosynam ex necessarijs ad statum, non tamen ad vitam.

Prima, & tertiz sententia Authores citati in præcedenti sectione. videntur omnino negare, quia requirunt illas duas condiciones, vt hoc præceptum obliget, scilicet habere superflua simpliciter, & vt sit necessitas extrema, vel grauis; quibus non nihil fauet D. Thom. secunda secundæ; quæstione 32. articulo sexto; tamen alij Authores communiter contrarium tenent licet non omnes inter se consentiant.

2. Dico primo. Si commune bonum, seu reipublica sitin graui necessitate totius boni communis, teneatur priuata persona illi subuenire etiam ex necessarijs ad statum. Conclusio est communiter ab omnibus recepta. Ratio autem est, quia, exteris paribus, commune bonum est præferendum proprio in temporalibus. Item ostendimus infra, debere hominem perdere vitam, si necesse sit pro tuenda vita reipublicæ; ergo à pari tenetur subire grauem necessitatem, vt subueniat graui necessitati reipublicæ. Denique huiusmodi grauis necessitas reipublicæ raro erit sine extrema necessitate multorum particularium, ostendimus autem debere hominem ex his bonis subuenire extremæ necessitati alterius; ergo, &c. Vbi aduertendum est grauem necessitatem non dici illam, quæ quasi per accidens resultat in reipublica ex multis necessitatibus communibus, vt dicebamus sectione præcedenti numero octauo, sed grauem dici, quæ perse exponit totam reipublicam, vel commune bonum eius, graui periculo.

3. Dico secundo. Si proximus quilibet sit in extrema necessitate, tenetur quilibet homo subuenire illi, etiam ex necessarijs ad statum. Probatur primo, quia in ordine charitatis tenetur homo magis diligere vitam proximi, quàm statum suum. Item qui extrinsecus indiget, habet ius naturale vtendi bonis alterius etiam necessarijs illi ad statum, & potest illa accipere, neq; alter potest prohibere sine iniuria: ergo tenebitur ipse etiam dare illi, & seruare alteri illud ius, præcipue habita ratione charitatis.

4. Sed contra inferes. Ergo si aliquis minetur interfectum seipsum, nisi dem centum aureos, tenebor dare, vt vitam eius tuear. Secundo sequitur tenebor dimittere dare magnam pecunie vim, etiam necessariam ad statum, alicui, V.g. ne occidat inimicum, quem habet subiectum, quod videtur onerosum.

Tertio si esset infirmus morti proximus, nec posset sanari, nisi exquisita medicina magni valoris, tenebatur dives ex necessarijs ad statum illi providere, & similia. Ad primum communis responsio est, illud non esse in extrema necessitate, sed in extrema malitia. Ad do tamen, quod dixi in prima sect. num. 7. Si forte id oriretur ex magna passione, & quantitas non esset magna, atque adeo posset aliquis sine graui detrimento id facere, interdum teneri, tamen moraliter, & communiter loquendo raro occurrit hæc obligatio. Ad secundum Victoria refectione de homicidio, Nauarr. & alij dicunt conclusionem esse intelligendam de necessitate, quæ prouenit quasi ex ordine naturali, non vero ex illa, quæ prouenit ex malitia hominum. Nam hæc potest occurrere infinitis modis, & sæpe iniquissimis, vnde si illa esset at-

tendenda, esset intolerabile onus, & perturbatio contra rem publicam. Sed reuera licet hæc differentia non videatur negligenda, non tamen omnino satisfaciunt; nam causa, propter quam charitas, & misericordia obligant, non est causa vnde oritur necessitas, sed est ipsa necessitas; ergo si hæc verè adeest & aliunde est etiam sufficiens facultas, erit etiam obligatio, vnde cumq; orta sit necessitas. Quare crediderim si pretium pro tali vita necessarium, esset moderatum, & non nimis necessarium habenti, posse interdum teneri ad illud dandum. Vnde aduertendum est hæc temporalia bona quauis sint inferioris ordinis, esse tamen instrumenta humanæ vitæ, & humanarum actionum, & interdum posse magnam quantitatem diuitiarum præferri vitæ alicuius vulgaris hominis, quia etiam sunt necessaria communi bono, & conseruare etiam proprium statum, est moraliter valde necessarium, & ideo non est obligandus facile homo, vt cadat à statu: attamen, vt eo retento aliquam in eo patiatu necessitatem, obligari potest. Et hoc modo limitanda est conclusio, præsertim in his necessitatibus, quæ non à natura, sed ex hominū libertate pendent, & eodem modo respondendum est ad tertium, quauis non displiceat, quod Victoria supra, & Soto 4. de iustitia quæst. 7. artic. 1. ad 4. tradunt.

5. Dico tertio. Interdum potest quis obligari, vt subueniat proximo ex bonis aliquo modo necessarijs ad statum proximo existenti non in extrema, sed in grauisima quadam necessitate. Hæc suadet ex Scriptura, & Patribus sectione præcedente, num. 2. indicatis. Præterea Augustin. in i. epist. Ioan. tractat. 5. A creditore angustiatu frater tuus, vide si miseris. si habes mundi facultates, forte dicis, daturus sum pecuniam meam ne ille angustiam patiatu? si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non est in te, &c. Ratione etiam probatur; nam fieri potest, vt quauis proximus non sit in extrema necessitate vitæ, sit tamen in extremo periculo grauis infamiz, vel similis iniuriæ, & illa est necessitas grauisima: ergo, qui potest non magna iactura diuitiarum impedire illud malum, tenetur, quauis bona illa non sint superflua omnino statui. Ratio enim charitatis postulat, vt præferat tantum bonum proximi meo incommodo non magno. Similis est casus carceris, vel captiuitatis perpetuæ, bona enim his malis contraria sunt altioris ordinis, quàm diuitiæ. Ad do præterea circa bona externa accidere posse, vt proximus, in omnibus, & maximis fortunis suis detrimentu patiatu, si hic, & nunc non subueniam de meis, sine graui iactura proprii status; tunc ergo etiam ratio charitatis postulat, vt illi dicto modo subueniam; patent consequentiz, quia moraliter loquendo tunc possum, & tempus est maximæ necessitatis: ergo tunc obligat præceptum affirmatiuum. Quod etiam credibile est fieri, aduertendo, licet obligatio misericordiz oriatur ab ipsa natura, tamen ex conuictione charitatis maiorem, & altiozem fieri: nam charitas naturam perficit: vnderationabile est, vt ad maiora signa, & effectus beneuolentiz inclinet, & obliget. Quapropter Doctores sancti obligationem hanc magis in charitate, quàm in natura fundant. Accedit, quia non dicimus teneri aliquem ad subueniendum proximo, exponendo se æquali necessitati, imo neq; subeundo grauem simpliciter, sed solum cum sine magna incommoditate potest, licet non sit de rebus omnino superfluis, quod etiam magis constabit, ex sequenti sectione.

6. Sed superest difficultas, quia D. Thomas in omnibus videtur nobis aduersari, articulo enim 6. quæstionis 32. ait esse laudabile de necessarijs ad vitam subuenire publico bono, & idem dicit statim de eleemosyna facta ex necessarijs ad statum, vnde indicat illud esse consilij, nō præcepti: & postea subdit esse inordinatum tor dare eleemosynas, vt non possit

Nō omnino satisfaciunt.

Conditio.

Eius ratio;

Confirmatus primo.

Difficultas quædam ex doctrina D. Thomæ.

Expediatur.

possit homo conuenienter viuere secundum statum, & solum excipit extremam necessitatem priuatæ personæ, vel grauissimam reipubl. Respondetur doctrinam D. Thom. esse prorsus eandem cum ea, quam tradidimus, vt euidenter patet ex eodem in quæst. 57. articulo primo, ad quartum, & quæst. 118. articulo quarto, ad secundum. Nimirum hoc loco obscurius est locutus, quia multa voluit paucis complecti. Quapropter in citato articulo sexto, solum intendit docere, quid in hac materia sit bonum, quidve malum. Vnde laudabile ibi non significat consilium, vel præceptum, vel tantum in consilio, quod D. Tho. reliquit definiendum de ordine charitatis. In secundo autem dicto, quod sit inordinatum tot dare eleemosynas, &c. Loqui videtur de homine, qui habet familiam, & alias obligationes. Quamuis etiam dici possit in artic. 5. duo capita posuisse obligationis eleemosynæ, scil. extremam necessitatem, & superfluum simpliciter, quia moraliter, & attenta hominum conditione quodlibet horum per se sufficit ad hanc obligationem inducendam; hoc ergo sensu dicit in quæst. 32. ex solis necessarijs ad statum per se non oriri obligationem, non tamen negat, quin aliunde ex magna necessitate proximi, attento ordine charitatis, possit aliquando oriri. Alia quæstio, hic supererat, An ex necessarijs ad vitam teneatur quis, vel certe possit honeste facere eleemosynam: sed in disput. 9. melius expeditur, agendo de ordine seruando in operibus misericordiz.

SECTIO V.

Virum cum præceptum eleemosynæ obligat necesse sit donare, vel satis sit mutare.

Prima sententia eiusque ratio.

Prima sententia docet semper satis esse mutare, ita habet Nauarrus in manuali cap. 17. num. 61. & cap. 24. num. 5. Covarr. Regul. Peccatum, p. 2. §. 1. num. 3. sequenti Adrianum quodlib. 1. art. 2. & in 4. in materia de restitut. quæst. 33. Ratio eorum est, quia charitas solum obligat ad subueniendum necessitati proximi, at satis subleuatur per mutuū. Vnde in Scriptura interdum hæc obligatio per mutuū explicatur, Lucæ sexto. *Benefacite, & mutuū date*, Psalmo 36. de iusto dicitur, *tota die miseretur, & commodat*: idemque repetitur Psalm. 111. Eccles. 29. *Fanere proximo tuo in tempore necessitatis illius*: Confirmatur primo. Nam si quis in extrema existens necessitate accipiat alienum, vt sibi subueniat postea veniens ad pinguiorem fortunam teneatur restituere: ergo si alter subueniret, potest etiam obligare ad restitutionem, quod mutare est. Antecedens est multorum Theologorum, Richardi, Duran, Gabr. in 4. dist. 15. Medina Cod. de restitut. q. 3. & Glos. in Reg. Peccatum, de Regul. iuris in 6. & videtur colligi ex cap. *Si quis*, extra de furtis. Confirmatur secundo ex Genes. 25. vbi Iacob. Esau extreme esuriens cibaria vendidit, & similiter Ioseph. Genes. 41. & 42. oppressis fame frumentum vendebat, & Tobias mutuū dedit Gabelo sub chyrographo, denique facit lex *Sigrauitam ff. Praescriptis verbis*. Notandum pro decisione est, homines interdum carere rebus necessarijs omnino, & simpliciter, interdum tamen secundum quid, quia licet hic careant, habent alibi, vel si carent hoc genere bonorum, habent alia, vel habent industriam, qua facile possit comparare, vel proximam spem comparandi.

1. Conclusio.

2. Dico primo, simpliciter asserere, præceptum eleemosynæ nunquam obligare ad donandum, neque pium est, neque practice probabile. Hæc conclusio satis patet ex dictis in duabus sectionibus præcedentibus, nam vt non negemus mutuū interdum esse posse opus misericordiz, tamen regulariter Scriptura, & Patres nomine eleemosynæ intelligunt abso-

lutam donationem, vt colligitur ex Lucæ 10. in parabola incidentis in latrones, & cap. 11. *date eleemosynam, &c.* & cap. 14. *cum facis conuiuium, &c.* Et hæc est omnium veterum Theologorum opinio in 4. dist. 15. Et D. Thom. citatis locis in præcedenti sect. item Soti in 4. lib. de iusti q. 7. art. 1. Sarment. in 2. p. defen. monito 4. num. 5. & 6. Cordub. lib. 1. quæst. 26. ad 7. Medin. de elemos. cap. 6. & de restitut. q. 3. cap. 1. & aliorum.

3. Dico secundo. Ei, qui tantum secundum quid indiget, satis subuenitur per mutuū, vel commodando, vel etiam venditione. Ita exprimunt plures ex citatis Doctoribus, ac fortasse hoc tantum intendunt alij pro prima opinione allati. Ratio est, quia ille talis non simpliciter indiget; ergo ne ego teneor simpliciter ei dare, idem constat exemplis. Nam si quis Romæ indiget, habet tamen diuitias alibi, satis est mutare, vel credita pecunia vendere. Item si nunc caret actu, habet tamē certam spem, vel ius habendi in futurum, non caret simpliciter, quia illud ius, & spes æstimabilia sunt pretio; ergo satis, vt credit ei decur, & non gratis. Præterea, qui necessitatem grauem in statu patienti subuenit, vt pristinum statum retineat, & recuperet, potest haud dubie se seruare indemnem. Denique idem est de artifice, atq; de eo, qui viribus, & conditione aptus est ad laborandum, nisi postea certum sit indigere de cetero sua tota arte, & industria ad subueniendum sibi, & familiæ: nam tunc iam simpliciter indiget, & idem est de viro nobili, cuius statui repugnat, & non deest laborare.

4. Dico tertio. Quando necessitati proximi sufficiens subuenitur per vsum rei, quæ non statim consumitur, satis est commodare. Explico assertionem. Est quis in extremo periculo, vt interficiatur ab hoste nisi equo vtatur, omnino satis fit illi, commodando: & ad hoc vtget obligatio vtiusq; partis: ratio est, quia ille indiget vso pro hoc tempore, non autem domino, aut vso perpetuo. Confirmatur, nā si ille inuito domino acciperet equum ad illū vsum, illo finito, teneretur absq; dubio restituere: nisi forte in ipso actuali vso moreretur absq; culpa accipientis, quia tunc neq; ratione acceptionis (fuit enim iusta) neq; ratione rei acceptæ, quia non extat, restituere teneretur, atque adeo soli domino perijt.

5. Dico quarto. In extrema necessitate si subuentio fiat per res ipso vso consumptibiles, fieri debet per absolutam donationem. Est communis illorum authorum, & sequitur ex prima. Nam si præceptum eleemosynæ aliquando obligat ad liberam donationem, certe maxime in extrema necessitate rerum vso consumptibilium, & præcipue, si fiat donatio ex rebus superfluis. Secundo, ita teneor subuenire, sicut alteri iure potest accipere: sed qui est in extrema necessitate potest ita accipere, & consumere, vt nihil teneatur restituere: ergo, & quod in hoc casu datum domino est, atq; ab accipiente consumptum, nulli subiaceret restitutioni. Maior pars est, quia si non esset eadem obligatio vnus ad dandum, & facultas alterius ad recipiendum, posset oriri bellū iustum ex vtraque parte. Item quia accipiens potest iuste nolle se obligare ad reddendum. Minor est communior sententia Doctorū, quos citauimus ac D. Th. 2. 2. quæst. 66. articulo 7. Ratioque est, quoniam ille postea non teneretur reddere, siue ratione acceptionis, quia fuit iusta, siue ratione rei acceptæ, cum non extet, & sine culpa consumpta. Tertio quando res non consumuntur vso, teneretur quis reddere finito vso, atque si res casu perijt, non teneretur reddere quidquam, etiam pro illo vso, si vere nihil habebat, quando vfus est: sed in rebus vso consumptibilibus non valet plus res, quam eius vfus: ergo intentum. Tandem, quia, vel per hanc subuentioem fit dominus rei, ille, qui accipit, & sic tanquam dominus poterit illam libere consumere, vel non sit domi-